



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindellicorum, 1730

Decisio LXXI. Argumentum. Livellarium contractum esse de sui natura licitum probat hæc Decisio. Deindè examinat, an sint justa hæc quatuor pacta scilicèt? 1. Ut solvantur quinque cum dimidio pro ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

emtionis, & venditionis primo contractu partes descendunt ad contractum secundum, nempe livelli, in quo, ut cunctis patet, transfertur dominium utile, & possessio naturalis in livellarium, qui propterea absque scrupulo remanere potest in possessione rei venditæ; neque inde resultat simulationis præsumptio obmutatam causam, & titulum possidendi, ut bene respondet huic obiecto Rota part. 4. recent. decis. 435. num. 50. tom. 1. & part. 2. divers. decis. 116. num. 12. Cardin. Mantica d. lib. 13. tit. 36. num. 4. & Farinacius d. quæst. 162. num. 241.

Secundum pariter non obstat (ex pacto scilicet retrocessionis rei venditæ ad livellum, & ex ejusdem pacti immediata executione, præsumi simulatam fuisse emptionem, & venditionem, & re vera, contrahentes voluisse pecuniam mutuo dare, & recipere, ac ex ea fœneratitium lucrum constituere.) Talis enim præsumptio, & interpretatio capit aliquam malignitatem, & ratio est, quia cum datio pecuniæ possit fieri cum iusto titulo emtionis prædii, super quo postea fundetur livellus (prout cum hoc titulo datur non est retorquenda in titulum pravum, & præsumendum, quod contrahentes, qui possunt legitime, & absque culpa contrahere, velint peccaminose, & damnatis modis contractum inire. Cardin. Parisius lib. 1. consil. 60. num. 6. Cardin. Mantica de Tacit. lib. 2. tit. 4. num. 18. & lib. 9. tit. 25. num. 2. & 3. Ideoque respondetur, pactum illud de retrocedendo prædium venditum ad livellum esse pactum licitum, irreprehensibile, & à jure concessum, l. 2. C. de Pactis inter empt. & vendit. Honded. consil. 33. num. 64. & seqq. lib. 2. Marta dict. consil. 126. num. 4. Rota dict. part. 4. recent. decis. 435. num. 6. & Farinac. qui plurimos cumulat de Falsit. & Simulat. quæst. 163. num. 20. & in terminis docet Borgninus decis. 13. num. 48. in 2. quem indebitè carpit Manentus quæst. 3. num. 20.

Tertium non obstat: quia etsi prædium pro constituendo livello vendatur absque mensura, & sit indivisum, seu extrahendum ex corpore majoris quantitatis camporum, per hoc nullum obstaculum resultat validitati Instrumenti, & sinceritati contractus, cui sufficit realis existentia prædii, & ejus quantitas in Instrumento nominata; ut pluribus iuribus, Doctoribus, & rationibus probat Cardin. Parisius dict. lib. 1. consil. 59. & consil. 60. & lib. 3. consil. 77. cujus auctoritati, & doctrinæ magis est deferendum, quam opinioni Manenti, qui ut suam sententiam laudet, injustè tantum Autorem reprehendit dict. quæst. 3. num. 58. Prout etiam non subsistit obiectum de pretio non æquivalenti vero valori prædii: eo quia, esto quod ob futuram retrocessionem prædii ad livellum, contrahentes solliciti non sint de ultimo quadrante iusti pretii, nihilominus ob parum plus, vel parum minus, quam in veritate prædium esset æstimandum, simulatio emtionis, & venditionis locum non habet, cum ad eam inducendam variatio debeat excedere medietatem iusti pretii. Honded. dict. consil. 33. num. 62. lib. 2. Covarruv. Var. resol. lib. 3. cap. 10. num. 1. & in terminis Rota dict. part. 4. recentior. decis. 435. num. 7. & 8.

Quartum non obstat, quandoquidem non est cum amaritudine sumendum, si expensæ Instrumenti solvantur per livellarium ex pacto: quia quilibet potest in traditione rei suæ, quam

velit, legem imponere, l. Legem. C. de Pactis. l. In traditionibus. ff. eod. tit. Et contractus omnes ex conventionione partium legem accipiunt, l. 1. §. Si conveniat. ff. Deposit. & l. In conventionalibus stipulationibus. ff. de Verb. oblig. & præcipue livellus, & emphyteusis, quæ suis pactionibus fulciuntur, ut ait Imperator in §. Aded autem. Instit. de Locat. & conduct. & l. 1. C. de Jur. Emphyt. Maxime attenda generali consuetudine regionis sic paciscendi, quæ tale pactum excusat. Menoch. d. lib. 3. Præs. 122. num. 60. Sed concedamus, tale pactum argui posse de injustitia; (cum de Jure expensæ instrumenti spectent ad emptorem; Gencius de Censib. part. 2. cap. 1. quæst. 1. art. 2. num. 6. Bonacina de contr. dispur. 3. quæst. 4. punct. Unic. num. 32. & Tambur. de Triplic. Jur. lib. 9. tract. 2. cap. 3. §. 2. num. 14. Vel saltem pro dimidio ad utramque partem Cepolla: in l. Debet autem num. 4. ff. de edil. edict. quod laudabile erit, si adverterint tum contrahentes, tum Notarii, tum etiam Confessarii;) attamen ex eo non potest deduci nullitas contractus, quia prædictum pactum non est contra substantiam, sed contra naturam contractus, & idè ipsum pactum vitiatum, non autem contractus, qui eo non obstante in suo robore manet, ut docet Redoan. de Reb. Eccles. non alien. quæst. 79. cap. 12. num. 6. Gratian. Discept. forens. cap. 141. num. 20. & 21. Scaccia de Commenc. §. 1. quæst. 2. p. 2. ampl. 20. num. 14. & 15. & pluribus citatis approbat Gencius de Censibus p. 2. cap. 1. quæst. 3. art. 1. num. 11. 12. & 13.

Et ex his inconcussum remaneat, unicam esse speciem livelli, & omnem livellum esse prædiale, seu fundiarium; quia de essentia livelli est, ut livellarius recipiat prædium à domino, & absque dubio emptor prædii factus est dominus ejusdem prædii, antequam illud tradat ad livellum. Igitur livellus est prædialis, & fundiarius, quia talis dicitur, quando fundus originaliter procedit à concedente, ex doctrina Beccii consil. 35. num. 13. & Thesaur. Jun. For. quæst. lib. 4. quæst. 43. num. 2.

DECISIO LXXI.

ARGUMENTUM

Livellarium contractum esse de sui natura licitum, probat hæc Decisio. Deindè examinat, an sint iusta hæc quatuor pacta? scilicet: 1. Ut solvantur quinque cum dimidio pro omni centenaria. 2. Ut sint libera à publicis gravaminibus, 3. Et ab omni restau- ro. 4. Et quod in casu venditionis ratio- num utilium Dominus directarius præferat cæteris.

SUMMARIUM

1. Livelli contractus an sit licitus? & num. 3.
2. Livelli in creatione an sint servanda conditiones Bullæ S. Pii V. de Censibus? & num. 4.
3. Conditiones servanda in livello, ut sit licitus.
4. Livelli legitimitas in qua ratione fundetur?
5. Casus Manenti argumenta non manentia.
6. Bartholomæus Sylvaticus Eques Patricius Patavinus, & in Publico Gymnasio Jurisprudentia Professor laudatus.
7. Desiderium in quo differat à voluntate?
8. Similitudo infirmi cum livellario.
9. Livelli legitimitas à DD. & communi usu approbata.
10. Pen-

12. *Pensio livellaria pendet à fructibus fundi livellari.*
13. *Pensio quinque cum dimidio pro omni centenario an sit licita?*
14. *Consuetudo regionis servanda circa Pensiones livellarias.*
15. *Livelli in statu Veneto in qua summa fiant?*
16. *Lex Veneta anni 1647. circa Pensiones livellarias.*
17. *Pensio quinque cum dimidio libera à gravedinibus, an licita?*
18. *Pensio livellaria an diminuenda ob sterilitatem fundi vel casus fortuitos?*
19. *Census natura differt à natura livelli.*
20. *Prædationis pactum in livello circa venditionem domini utilis ad favorem domini directi an licitum?*
21. *Minima non curantur.*
22. *Fundi censui in venditione dominus census est præferendus.*

QUÆSITUM TERTIUM.

Firmato hoc principio, quod omnis Livellus sit prædialis, nunc quaeritur, *An Livellus sit contractus licitus? Et quæ requirantur, ne sit Usurarius?*

Cæsar Manentius in cit. tract. de Jure contractus livellarii pecunia constituti conatus fuit probare, illicitum esse contractum hujusmodi, eumque esse usurarium, & fœneraticium, nisi serventur conditiones omnes præscriptæ in Bulla S. Pii Quinti de creatione censuum, arbitratus, nihil aliud esse Livellum [ut ipse ait] pecunia constitutum, nisi Censum consignativum; ideoque, ubi recesserit à forma prædictæ Bullæ Piane, ratio illius pecuniæ erit Mutuum, pensio autem livellaria erit fœnus, & usura; nihil aliud denotante prædio, super quo livellus constituitur, nisi pignus cum pacto legis Commissoriæ ad securitatem capitalis; siquidem livellarius indigens pecunia, non intendit vendere prædium suum, sed habere pecuniam, ut subveniat suæ indigentiae; & qui pecuniam dat, non intendit emere, sed mutuare cum lucro sub velamine, & nomine livelli; & ita argumentatur Manentius per totum librum suum, & præcipuè quaest. 1. à num. 25. & seqq. ubi consulentes plurimos utriusque Juris DD. asserit ita sentire, & contractus livelli usurarios reputare.

Nihilominus, quicquid collimat Autor prædictus, scopum non tangit; nam absque hæsitatione tenendum est [ut supra probavimus] contractum livelli [quamvis in prædio recen-
ter empto per livellantem à livellario constituti] esse licitum, legalem, & irreprehensibilem; ut demonstrat eximius Jureconsultus, & Doctor Jac. Ant. Marta, qui [ut testatur Portenarius Hist. Patav. lib. 7. cap. 4. anno 1608.] in hoc Patavino Lyceò fuit Professor Publicus, in pract. consil. 126. per totum: nec non in suo Tractatu de Clausulis part. 2. claus. 3. Cujus rationem refert Leotardus de Usuris quaest. 89. à num. 8. & seqq. & cum eodem Marta tenuerunt Tiber. Decianus resp. 23. Vol. 5. & Alexander de Nevo consil. 95. apud quos quamplurimi DD. allegantur, qui livellos legitimos contractus esse docuerunt; quibus assentitur P. Comitulus Respons. Moral. lib. 3. quaest. 19. ubi monet, quod error iste [Livellum scilicet, & Censum eundem esse

contractum] multorum mentes occupaverit; & subinde demonstrat, quod livellus sit contractus omnino diversus, & discretus à censu, & propterea valeat, & licitus sit, quamvis non serventur in eo solennia Bullæ S. Pii V. neque earundem conditiones, quæ sunt humani tantum juris, modò custodiantur jura divina, naturalia, & gentium, quorum præcipua sunt; Ut prædium, in quo fundatur livellus, extet in rerum natura: Ut is, à quo venit, possit illud alienare, ipseque venditor verè velit vendere, & emptor verè velit emere: Ut prædium ipsum sit frugiferum: & pensio livellaria non sit exorbitans, sed æquivalcat fructibus ejusdem prædii; ut infra dicemus.

Justitia autem, & legitimitas contractus livellarii fulcitur ratione, & autoritate. Ratio fundamentalis est, quod perfecta emptione, & numerato pretio, fructus omnes ad emptorem pertineant. l. 3. §. 1. in fin. ff. de act. empr. l. Fructus 13. & l. pen. c. eod. l. Venditor 21. ff. de heredi. vend. idcirco si fundus remaneat apud venditorem, nihil vetat, emptorem de certa pensione, loco fructuum præstanda, cum venditore pacisci. l. Julianus §. Si fructibus ff. de Act. Empr. l. ult. ff. de fund. dot. d. l. Fructus 13. nec non, & l. Curabit. §. C. de Act. Empr. Rota apud Cæsar. de Grass. decis. 187. num. 7. quæ hanc rationem in hac materia canonizat; & Leotard. de Usur. alios multos allegans quaest. 27. à num. 54. & seqq. ideoque, cum apud livellarium extet fundus, seu prædium venditum, & ipse ex eo fructus percipiat spectantes de Jure ad emptorem, à quo pretium in pecunia numerata recepit; justum, & legale est, ut ipse emptor prædii exigat pensionem livellariam coequali fructibus. Covarruv. Var. res. lib. 3. cap. 4. num. 7. Cardin. Paris. lib. 1. cons. 60. num. 24. Marta d. part. 2. claus. 3. & d. cons. 126. num. 15. Leotardus de Usur. quaest. 89. num. 10. & alii plurimi in dict. Rotali decis. 187.

Non sunt igitur manentia argumenta Manenti, qui minus rectè negat præcedentis emptionis, & venditionis prædii veritatem, & adfruit contractum mutui ex eo, quia sibi fingit, livellarium velle quidem habere pecuniam, sed non alienare prædium: nam qui vult consequens, vult etiam antecedens, l. 2. ff. de Jurisd. omni. Jud. Menoch. cons. 1120. num. 6. Bart. Sylvaticus Eques Patritius Paravinus tum nobilitate, tum Jurisprudencia Syds præfulgens in hoc publico Gymnasio Antenoreo in suo Vol. 1. Respons. cons. 6. num. 41. Et cum haberi non possit pecunia, nisi præcedat vera venditio prædii, affirmare oportet, livellarium voluisse verè, & efficaciter vendere prædium ad consequendam pecuniam per subsequentem contractum livellarium. Et quamvis in ejus animo inesse possit desiderium habendi pecuniam sine venditione prædii, id, quod desiderat, non est deferendum voluntati [quæ est portio sublimis, & dominatrix animæ rationalis] sed inferiori parti concupiscibili, & animali, cujus plurimæ sunt passionēs, & inter ipsas desiderium. Aristotel. Ethic. 2. cap. 5. ubi P. Sylv. Maurus explicat dicens: Passiones porro propriæ, & strictè non dicuntur operationes potentiarum apprehensivarum, neque operationes voluntatis, sed actus solius appetitus sensitivi. Si quidem aliud est desiderare, & aliud velle. Infirmitas desiderat sanitatem sine incisione membrorum, seu potationibus amaris: sed quia sanus

nus fieri non potest, nisi vel membrum abscindatur, vel pocula deglutiantur amara, posthabito appetitu desiderii, ad remedia efficacia, quamvis sibi poenalia, voluntatem inclinat, eaque verè, & efficaciter sumit, ut sanetur. Idem fit in livellario, cujus desiderium cedit imperio voluntatis, quæ eligit, & vult venditionem prædii, ut inde perveniat ad licitum modum recipiendi pecunias pro suis indigentis; nempe ad contractum livelli, tanquam minus præjudiciale, seu læsivum sui patrimonii absoluta, & irrevocabili venditione. Quamobrem cum de existentia prædii non sit dubitandum ex parte venditoris, neque de pretio ex parte emptoris; injustum est, vertere in dubium utriusque mentem circa voluntatem emendi, & vendendi dictum prædium, etsi cum pacto retrocedendi illud ad livellum: attentis enim eorum expressis verbis, de quibus in Instrumento, nec non clara, & manifesta intentione, non est admittenda voluntatis quasi. *l. ille, aut ille. ff. Cum verbis. ff. de Leg. 3. Decian. vol. 6. resp. 75. num. 9.*

Auctoritate quoque munitur contractus noster livellarius, quæ desumitur tum ex assensu plurimorum Doctorum, quos allegat ipse Manentus *quæst. 1. num. 1. & Marta dict. consil. 126. num. 1. & 2. asseverantes, licitum esse contractum livellarium, & per totam Italiam celebrari, tum ex ipsa generali consuetudine, à Judicibus, Magistratibus, & supremis Principibus approbata, ex qua bene inferit Marta dict. consil. 126. num. 6. quod cum hujusmodi contractus livelli ubique locorum observetur, & executionem habeat, totus mundus esset in errore, si diceremus esse usurarium.*

Neque omitendum venit quod refert idem Manentus *quæst. 3. num. 28. videlicet, livellarium contractum prodixisse ex doctrina Jasonis in l. 1. in princ. lect. num. 62. in 1. lect. num. 41. C. de Sum. Trin. & Fid. Cathol. & ex Bald. in cap. 1. num. 7. tit. Si de Feud. Vasil. ab aliquo fuerit impetr. qui DD. docuerunt, emere fundum, & de eo investire livellarium.*

Livellus igitur est in se contractus licitus, quia fundatur in fructibus prædii dati ad livellum, à quibus fructibus pendet ipsa pensio livellaria, etiam in casu divisionis inter hæredes. *Peregrin. de Fideicom. art. 49. num. 100. Fusar. de Substitut. quæst. 625. num. 74. Tantummodo dubitari potest de aliquibus pactis, quæ in constitutione Livelli contrahentes stipulantur, & à Notariis in rogitu Instrumentorum ponuntur, an sint justa, vel injusta? Quòcirca, ad integram resolutionem nostri Quæstus, sex sequentia pacta examinabimus, ut sciant Confessarii, & conscientiarum Judices, an absque læsione justitiae in livellis inserantur? Videlicet.*

1. An liceat exigere pensionem quinque cum dimidio pro omni centenario?

2. An liberam ab omni gravamine collectarum, vulgò *Publiche gravezze*?

3. Non diminuendam ob sterilitatem, vel casus fortuitos?

4. An licitum sit pactum Prælationis? id est, ut in venditione rei quoad utile dominium, Dominus directus præferatur cæteris, cum minori summa solidorum viginti?

5. An pecunia debeat esse præsens, dum livellus constituitur?

6. An justum sit pactum affrancationis?

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

Hæc duo ultima pacta in sequenti Decisione discutientur. Prima quatuor in præsentem.

FACTUM PRIMUM.

An liceat exigere Pensionem quinque cum dimidio pro omni centenario.

Circa hoc pactum quatuor reperiuntur opinioniones Doctorum.

Prima, quod licitum sit exigere in censu, (& quoad hoc idem est dicendum in livello) decem pro centenario Bart. in l. In lege falcidia 45. ff. ad Legem falcid. Tiraquell. de Reract. consanguin. §. 1. gloss. 6. num. 17. & 19.

Secunda, quod quinque tantum liceat pacisci. Covarruv. lib. 3. Var. resolut. cap. 9. num. 5. Lupus in l. 2. C. de pact. inter empt. & vend. Comment. 2. §. 2. num. 77.

Tertia, quod liberum sit contrahentibus convenire in summa intermedia intra supradictas duas, videlicet à quinque usque ad decem, attentis circumstantiis tum fertilitatis fundi, tum pactorum redimendi ad favorem vel unius, vel alterius ex contrahentibus, magis, aut minus. Cencius de Censibus part. 2. cap. 1. quæst. 1. art. 4. num. 7. Vers. Hæc aut opinio. Gratian. discept. forens. cap. 545. num. 18. Tamburin. de Triplic. jur. lib. 9. tract. 2. cap. 3. §. 2. Salas de Censib. dub. 22. & Comitulus lib. 3. quæst. 28. ubi num. 10. refert S. PIUMV. respondisse, che non si debba passare sette per cento per far bene, & la cosa con buona coscienza.

Quarta est, quod in hac materia servetur consuetudo regionis. Navar. de Usur. num. 104. & 140. Covarruv. dict. cap. 9. num. 5. Gratian. discept. forens. cap. 141. num. 32. Præcipue si summa taxata sit à Principe. Salas de Censib. dict. dub. 22. & Cardin. de Lugo disput. 27. num. 44. Quapropter, cum in hoc Serenissimo Dominio Veneto extet consuetudo, ut livelli, si sint perpetui, assumentur quatuor pro centum; si verò sint redimibiles cum onere gravedinum, non reddant ultra sex ducatos pro centenario, & sine dicto onere quinque cum dimidio; & hæc consuetudo innitatur legi Venetæ lata anno 1589. die 24. Julii ad instantiam Magnificæ hujus Urbis Patavinæ, cujus legis nos meminimus supra Decis. LXXIX. num. 15, & de ea loquitur Decian. in Volum. 5. Resp. 23. num. 25. & quæ legitur per extensum in novissima impressione Statutorum Paduæ de anno 1682. ad pag. 329. & novissimè emanaverit alia Ducalis Serenissimi Principis de anno 1647. mox registranda, absque hæsitacione dicendum venit, licitum esse pactum exigendi pensionem livellariam, quæ reddat quinque cum dimidio annuatim, pro singulis centenis impensis in emptione fundi, super quo constitutus est livellus; dummodo fructus ejusdem fundi non minorem summam conficiant. Marta dict. consil. 126. num. 35. Prædictæ autem literæ Ducales de anno 1647. sunt sequentes.

FRANCISCUS MOLINO Dei gratia Dux Venetiarum, Nobili, & Sapienti Viro Leonardo Coccho de suo mandato Capitano Vincentia fideli dilecto salutem, & dilectionis affectum.

Vedendosi dal contenuto di vostre lettere delli 3. co r. 16 rente le difficoltà, che incontrano li Governatori di questo Territorio in esigere il denaro delle tre Partite gettare già per conto de galeotti; e quelle ancora, che molto più grandi si differirebbero loro con sconcerto uni-

terfale, e con Pubblico diservirio, quando si volesse ne giurassero due altre, che si rappresenta per impossibile à praticare.

Risolvemo col Senato di permettere di prendere a livello li Ducati sei mille, di che ci hanno fatto l'istanza; sino a cinque, e mezo per cento liberi da gravetze; o a sei per cento pagando le mede sine, con gli obblighi nel rimanente soliti, & consueti in conformità dell' uso, & delle disposizioni delle leggi; con dichiarazione che non possano essi Ducati sei mille essere impiegati in altro, che nell' occorrenza di provvedere a galeotti: e che l' affraucazione d' esso livello seguir debba nello spazio d' anni tre a venire; & in ogni anno la contingente porzione. Quare &c.

Datum in Nostro Ducali Palatio die 8. Februarii 1647. more Veneto.

Paolo Garzoni Segretario.

PACTUM SECUNDUM.

AN licitè eadem summa exigatur libera ab omni gravamine collectarum, vulgo Pubbliche gravetze?

Affirmativè est respondendum quadruplici ratione, videlicet de Jure civili, ex æquitate Canonica, ob generalem consuetudinem, & ob auctoritatem Doctorum.

Jus civile licitam reddit livellariam pensionem, liberam ab omni onere publicarum gravedinum; quia in hoc capite livellus non distinguitur ab emphyteusi, cujus natura est, ut omnes collectæ, & onera solvantur ab emphyteuta vigore pacti, cui se obligavit, & ad quod servandum Jus civile prorsus vult eundem emphyteutam esse indissolubiliter adstrictum, l. 1. C. de Jur. Emphyt. ut bene docet Alvar. Valasc. de Jur. Emphyt. quest. 17. num. 6. & probat plenè Sylvan. in cons. 47.

Æquitas Canonica in idem tendit, quandoquidem potuisset dominus livelli exigere pensionem majoris summe, usque ad decem procentum. Rota post Cencium de Censib. decis. 93. in prim. & saltem sex juxta legem Venetam, de qua supra: quocirca illud dimidium, quod dimittit in singulis centenis, deservit ad compensandum onus gravedinum solvendarum, cum potuisset sex exigere. Cardin. Parisius cons. 60. num. 29. lib. 1.

Consuetudo generalis hujus regionis suffragatur dominis livellorum; hi enim omnes conveniunt, ut summa quinque cum dimidio libera sit ab omni onere collectarum; & ex consuetudine regionis contractum justum, & licitum reputari docet Baldus in l. 1. num. 39. C. de his, quæ pene nom. Gratian. Discept. for. cap. 14. num. 14. & Leotard. de Usur. quest. 99. num. 5.

Autoritas etiam Doctorum confirmat justitiam hujus summe livellaris exemptæ ab omni onere. Menoch. roro cons. 983. Valasc. & Sylvan. supra citati, ac alii plures apud Leotard. de Usur. d. quest. 57. à num. 11. & seqq. & Marta d. cons. 126.

PACTUM TERTIUM.

AN dicta annua livellaria Pensio quinque cum dimidio sit diminuenda ob sterilitatem, vel casus fortuitos? Respondetur, non esse diminuendam; quia etiam in hoc Livellus similis est Emphy-

teusi, cujus privilegium est, ut ob quamcunque fructuum destructionem non possit Emphyteuta petere remissionem canonis à Domino, nisi totus fundus in sua substantia periret, juxta vulgare illud carmen:

Si pereat res tota, nihil dabit Emphyteuta.

Si non tota perit, non ita salvus erit.

Quod docent scribentes in l. 1. C. de Jure Emphyt. & in §. adeo in fine. Instit. de Locat. & conduct. Cardin. Mantica, qui plurimos allegat, de Tacit. & ambig. lib. 22. tit. 2. num. 22. Et quamvis plures Doctores velint, id procedere tantummodo, quando per Emphyteutam solvatur parvus canon, secus autem si solvatur pensio, quæ fructibus respondeat. Cardin. Mantica ibid. num. 26. & Thesaur. Jun. Qu. forens. lib. 1. quest. 32. num. 30. secundum quorum opinionem Livellaria pensio quinque cum dimidio esset diminuenda, cum non possit dici modica, sed potius correspondens fructibus, qui ex fundo colliguntur: Nihilominus prævaleat opinio Doctorum docentium, etiamsi modica non sit pensio, nullam remissionem faciendam esse Emphyteutæ, & ita nec Livellario, ut scripsit Thesaur. Sen. dec. 20. part. 1. novissimè Surdus decis. 198. per totam, ac Vivius decis. 500. lib. 3. quibus adstipulatur Marefcot. Var. res. lib. 2. cap. 76. num. 32. Quare cum hoc jure utamur, & ita servet generalis consuetudo, scrupulus non remanet circa prædictum pactum, tantò minus, quia de jure licitum est circa casus fortuitos pacisci etiam contra, & præter naturam contractus, l. Contractus 24. ff. de Reg. Jur. l. Si quis fundum, ff. locat. Leotard. de Usur. quest. 64. num. 1.

Neque obstat supradictis, contrarium sanxisse Constitutionem Pianam de Censibus, ut tenuit Rota post Cencium, de Censib. dec. 146. num. 12. & coram Cardin. Seraphino dec. 1418. num. 19. 14. Quia responderetur, diversam esse naturam census à natura Livelli, in quo dominium directum fundi remanet apud Livellantem, ut supra demonstratum est; & illa Constitutio S. PII QUINTI non comprehendit Livellos in his, quæ non repugnant juri divino, naturali, & gentium; ut docet Comitulus Resp. mor. d. lib. 3. quest. 29. num. 2.

PACTUM QUARTUM.

An licitum sit pactum Prælationis? Ut in venditione rei quoad dominium utile, dominus directus præferatur cæteris, cum minori summa solidorum viginti

Non esse licitum, imò odiosum, & usurarium respondit Manentus d. quest. 1. part. 10. num. 1. per text. in l. Dudum, C. de Contrahen. Empt. & per Cardin. Parisium cons. 82. num. 2. lib. 4. At amaro nimis animo digladiatur contra Livellarios contractus: quamobrem ejus assertio neque timenda, neque approbanda est: siquidem supradictum pactum & licitum, & justum, & honestum reperitur.

1. Ex Jure communi per text. in l. Si sterilis 22. §. Sed & si tibi, ff. de Act. Empt. ubi approbatur pactum, quod nulli alii possit emptor fundum vendere, nisi ipsi venditori.

2. Ex Jure Codicis idipsum expresse statutis in re emphyteutica per l. fin. C. de Jure emphyt.

emphyteut. in qua, etiamsi hoc pactum insertum non fuerit, sancitur, ut *Emphyteuta* venditurus melioramenta sua teneatur præferre dominum, & ad hunc effectum eidem voluntatem suam vendendi denunciare teneatur, & eum per duos menses expectare. Igitur hoc idem jus servandum est etiam in *Livellis*, qui ab *Emphyteusi* non distinguuntur in hac parte ob directum dominium, quod remanet apud dominum *Livelli*, ut in terminis dicit *Leotard.* de *Usur.* quæst. 65. num. 9.

3. Ob pactum expressum, super quo convenire ipsi contrahentes in contractu *Livellario*, cujus observantiam præstare tenentur, l. ultim. C. de Pact. inter empt. & vend. l. 2. & 3. C. de Donat. quæ sub modo, vel cond.

Neque obstat, quod *Livellarius* obligatus sit vendere domino *Livelli* utiles rationes suas viginti solidis minis. Nam, cum id sit in signum, & obsequium directi domini, & versetur in re minima, non est de eo curandum, l. Omnino 12. ff. de Impens. in reb. dot.

Prout non officit textus in l. Dudum, C. de contrahen. empt. neque autoritates *Cardin. Parisii* à *Manento* supra allegati. Quia loquuntur de privilegio consanguineorum circa jus retractus, quod ex jure communi erat prohibitum, sed vigore statutorum servandum venit, quamvis strictè sit interpretandum, ut ait *Cardin. Parisius* in dict. conf. 82. num. 4. lib. 3.

Tandem non intrat objectum *Constitutionis Piane*, prohibentis in censibus pacta omnia auferentia, vel restringentia facultatem alienandi rem censui suppositam, ut notat *Navar.* de *Usur.* num. 117. *Molina* disput. 390. num. 8. *Ugolin.* de *Usur.* cap. 45. §. 2. Nam respondetur, illam legem Pontificiam non arctare *Livellos*, ut diximus supra, saltem in his, quæ non sunt contra jus divinum, naturale, vel gentium. *Comitol.* dict. lib. 3. resp. *Mor.* quæst. 29. num. 2. Sed ulterius eadem *Bulla Piana* non vetat, imò concedit prælationem domino census, quoties censuarius rem censui suppositam vendere veller, ut ex ejus lectura apparet, & advertit *Leotard.* d. quæst. 65. num. 23. *Navar.* de *Usur.* d. num. 127. *Lessius* lib. 2. cap. 22. num. 84. & *Ugolin.* d. cap. 45. §. 3. num. 1. eò quia aliud est, quod nulli alii, quam mihi, res vendi possit, & aliud, quod in venditione *Livellarius* meipsum præferat eodem pretio, quod ab aliis potest habere, minis solidis viginti.

DECISIO LXXII.

ARGUMENTUM.

Disputatur de justitia, vel injustitia aliorum duorum pactorum circa contractus *Livelli*. Unum, An *Livellariæ* pensiones non solutæ possint converti in capitale? Aliud circa pacta affrancationis *Livelli* potissimum ad beneplacitum *Livellantis*.

SUMMARIUM.

1. Prodia *Livelli* non soluta an possint converti in capitale?
2. Pecunia est realiter numeranda in actu creationis Censuum.
3. Pecunia præsens in Censu an sit de natura Censuum?
4. Capitale *Livelli* augeri potest ex prodiis non solutis in puncto Juris.

Doct. Cleyerati Tom. II. Lib. IX.

5. Secus in Praxi, & de honestate.
6. Abstinentum ab eo, quod honestum non creditur.
7. *Livellario* non solvente pensiones quid agendum?
8. Pactum adstringendi *Livellarium* ad affrancationem, an sit licitum?
9. Censuum affrancatio in obligationem deduci non potest.
10. *Livelli* perpetui quomodo constituentur?
11. An de Jure sint liciti?
12. Pactum francationis tripliciter fieri contingit.
13. Pactum francationis pro arbitrio *Livellarii*, cum *Livellantis* licitum.
14. Ad libitum solius *Livellarii* multò magis licet.
15. Recuperatio fundi venditi, quo pretio sit facienda?
16. Pactum francationis *Livelli* ad certum tempus quem effectum habeat?
17. *Livellum* faciens cum pacto, ut ad sui libitum affrancetur, videtur mutuum cum *Usura* facere.
18. *Commoda* si sentis, junge onus emolumentis.
19. Pactum affrancationis idem est ac retrovenditionis fundi.
20. *Emptio* & *Venditio* fundi expellit contractum mutui.

Sequitur examinandum pro justitia contractus *Livellarii*.

PACTUM QUINTUM.

Videlicet: An pecunia debeat esse præsens, dum *Livellus* constituitur?

Intelligentia hujus pacti pendet à resolutione sequentis Casus.

Petrus, ob *Livellarias* pensiones decursas, & non solutas, debet tibi quingentos ducatos: & non habens, unde solvat, rogat te, ut illos in novum *Livellum* francabilem convertas super eodem fundo, ad rationem quinque cum dimidio pro centenario. Quaritur, An licitè fieri possit?

In contractu census post *Constitutionem S. Pii Quinti* extra controversiam est, non posse creari novum censum ex pensionibus decursis, & non solutis, eò quia *Summus Pontifex* in ea statuit, Censum, seu redditum annuum constitui nullo modo posse, nisi verè in pecunia numerata, præsentibus testibus, & *Notario*, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius, & ita tenent *Molina* disput. 390. num. 2. *Rebell.* lib. 19. quæst. 9. num. 4. & quæst. ult. num. 1. *Salas de Censib.* dub. 8. num. 8. & 11. *Ugolin.* de *Usur.* cap. 51. §. 1. Censius de Censib. part. 2. cap. 1. quæst. 1. art. 5. num. 36. & *Rota* post dict. tractatum decis. 81. dec. 92. & decis. 119.

Tota quæstio reducitur, An ex Jure Naturali sit necessarium, ut in creatione Censuum pecunia sit præsens, & actualiter numeretur censuario? Et in hoc dissident Theologi: quia alii affirmant, & alii negant, ut videre est apud *Salas de Censib.* dict. dub. 8. num. 12. & *Cardin. de Lugo* disput. 27. num. 84. ubi, non esse de necessitate, ut præsens pecunia sit, verius esse concludit de jure naturæ. Porro quicquid sit in creatione census secunda *Bulla Piana*, in acquisitione *Livelli*, si in puncto juris, & ex justitia, ac securitate conscientiarum quaramus, resolvendum est. pensiones *Livellarias* decursas, & non solutas posse deservire ad constituendum novum *Livellum*, etiam super eodem fundo, si sit capax reddendi tot fructus, quot valeant pro solutione pensionis veteris, ac novæ, sin minus, super alio

P a fun.